

PONTIFICIUM CONSILII  
DE LEGUM TEXTIBUS  
INTERPRETANDIS

# COMMUNICATIONES

VOL. XXII - N. 2

---

1990

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1990

Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

OBSEQUIUM EXC.MO PRAESIDI

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Constitutio Apostolica de Universitatibus Catholicis <i>Ex corde Ecclesiae</i> . . . . .	171
Constitutio Apostolica <i>Sacri canones qua Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium</i> promulgatur . . . . .	197

## ALLOCUTIONES

Allocutio Summi Pontificis occasione praesentationis <i>Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium</i> in XXVIII Congregatione generali Synodus Episcoporum habita . . . . .	205
Ex Allocutione Summi Pontificis Synodo Episcoporum exeunte habita . . . . .	212
Allocutio Summi Pontificis ad Cardinales, Familiam Pontificiam, Curiam ac Praelatum Romanam, occasione omnium pro Nativitate Domini habita . . . . .	217

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

### SECRETARIA STATUS

Ordinatio ad exequendas Litteras Apostolicas <i>Iusti Iudicis</i> Motu Proprio datas . . . . .	225
Articulo XI Statuti Officii Laboris apud Sedem Apostolicam (ULSA) haec quae sequuntur de membris ad supplendum addenda sunt . . . . .	230
Normae. De latino textu Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium tuendo eodemque alias in linguas vertendo . . . . .	231

### PONTIFICIA COMMISSIO « ECCLESIA DEI »

Rescriptum ex Audientia SS.mi quo Cardinali Praesidi Pontificiae Commissionis « Ecclesia Dei » speciales tribuuntur facultates, foras datur . . . . .	232
---	-----

## EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studii « De Personis physicis et iuridicis » (olim « De personis physicis et moralibus ») (Sessio XI) . . . . .	234
Appendix. Canones approbati a Coetu « De Normis generalibus » . . . . .	259
II. Coetus studii « De Personis physicis et iuridicis » (olim « De personis physicis et moralibus ») (Sessio XII) . . . . .	276

## DOCUMENTA

Interventus Em.mi Praesidis Pontificii Consilii in Synodo Episcoporum . . . . .	316
Observationes aliquae in scriptis traditae Secretariae Synodus Episcoporum, Coetu generali, mense octobri habito, perdurante . . . . .	320

\* \* \*

Opera a Consilii Bibliotheca recepta . . . . .	327
Notitiae . . . . .	328
Index Rerum Generalis . . . . .	331

# Ex Actis Pont. Comm. C.I.C. Recognoscendo

## I

### COETUS STUDII «DE PERSONIS PHYSICIS ET IURIDICIS»

(OLIM «DE PERSONIS PHYSICIS ET MORALIBUS»)

#### Sessio XI (diebus 12-16 martii a. 1973 habita)


Diebus 12-16 martii a. 1973, in Aula huius Pontificiae Commissionis habita est XIa Sessio Coetus Consultorum « De personis physicis et iuridicis », quam aliqui Consultores e Coetu « De normis generalibus » selecti participati sunt.

In conventibus partem habuerunt Rev.mi duo et Ill.mi tres Consultores. Rev.mus D. Guillelmus Onclin, Commissionis Secretarius Adiunctus, munere Praesidis et Relatoris functus est. Rev.mus D. Marianus De Nicolò, Adiutor a Studiis Commissionis, acta rediget. Alioribus conventibus interfuit etiam Em.mus Commissionis Praeses, Card. Pericles Felici.

Materia in hac Sessione tractanda erat: 1) de aliquibus canonibus conficiendis pro presentatione ad officia; 2) de actu administrativo individuali in iure canonico, scilicet quinam canones de rescriptis valorem habent etiam pro aliis actibus indolis administrativa; 3) denique de ordine systematico, in superiore sessione adumbrato, canonum qui normas generales constituant, necnon canonum qui a coetu Studii « De personis physicis et iuridicis » confecti sunt.

#### RELATIO SESSIONIS XI

Rev.mus Relator, seu Secretarius Ad., canonum textum « de praesentatione », quem ipse paravit, legit. Hi canones articulum II efformabunt



capitis I « de officii ecclesiastici provisione » in Titulo « de officiis ecclesiasticis ».<sup>1</sup>

*Canon 1 (novus)*

§ 1. Praesentatio ad officium ecclesiasticum ab eo cui ius praesentandi competit fieri debet auctoritati cuius est ad officium de quo agitur institutionem conferre, et quidem, nisi aliud legitime cautum sit, intra tres menses ab habita vacationis officii notitia.

§ 2. Si ius praesentationis cuidam collegio aut coetui personarum competit, praesentandus designetur servatis canonum 16 et ss. praescriptis (de electionibus).

*Quoad § 1: placet.*

*Quoad § 2:* Rev.mus primus Consultor dubitat utrum canones « de electione », qui speciales sunt, etiam ad praesentationem applicari possint.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. eos applicari vi § 2 istius canonis et difficultatem Rev.mi primi Consultoris non videt.

Rev.mus secundus Consultor notat melius esse ut numerus completus canonum « de electione » in textu indicetur, id est a can. 16 ad can. 27, qui ad praesentandi designationem quod attinet sunt servandi.

Placet textus § 2 cum indicatione a Rev.mo secundo Consultore facta.

Rev.mus Secretarius Ad. quaerit utrum dicere expediat quandonam praesentatio fieri debeat.

Ill.mus tertius Consultor retinet necessarium ut praesentandus audiatur vel de ipsa praesentatione informetur, cum ius eam recusandi habeat.

Propositio Ill.mi tertii Consultoris a Rev.mo Relatore probatur qui sequentem textum proponit: « Designatio eius qui praesentandus proponitur eidem intimanda est atque ipse intra octiduum utile a recepta intimatione manifestare debet utrum praesentationi consentiat necne, secus designationem effectum non habet ».

Rev.mus secundus Consultor animadvertisit, ad Religiosos quod attinet, ipsos praesentationi a proprio Superiore factae renuntiare non posse.

<sup>1</sup> In textu originali Relationis Sessionis Xae inveniebatur nota, ex qua constabat canones in eadem — ac in praecedentibus — Sessione approbatos inveniri in fasciculo cuius titulus erat *Canones approbati a Coetu de Personis physicis et iuridicis* (cfr. *Communicationes* 22 [1990] 142, n. 1). Revera, idem fasciculus, uti prostat in actis, textus quorumdam canonum — in specie: « de Praesentatione » — refert iuxta redactionem habitam in Sessione XIa. Canones, igitur, qui se referunt ad « praesentationem » quique prostant in eodem fasciculo (cfr. *Communicationes* 22 [1990] 156-157), revera tantum in hac Sessione examinati ac approbati sunt.

Ill.mus quartus Consultor notat praesentatorem, si praesentandum consulere debet, valde per eiusdem acceptationem et consensum ligari. Consultatio privatum fieri deberet, neque in textu, uti procedura canonica, inserenda est. Huiusmodi consultationis consectaria, insuper, bene perpendenda sunt.

Rev.mus primo Consultori tenet eum, qui ius praesentandi habet, idem ius exercere nequire absque interrogacione eius qui praesentandus est.

Ill.mus tertius Consultor, ut difficultas institutionalisationis ab Ill.mo quarto Consultore prolata vitetur, proponit in textu simpliciter dicere: « nemo invitus praesentari potest ». Haec expressio sufficienter dicit praesentatorem praesentandumque ad invicem animum suum aperire debere.

Rev.mus Secretarius Ad. sequentem textum proponit: « Nemo invitus praesentetur; quare qui praesentandus proponitur, de mente sua rogatus, intra octiduum utile eandem manifestet ».

Rev.mo primo Consultori verbum « quare » in textu legis non placet. Casus regularis est - ipse tenet -, cum officium vacat, ut vacantia publici iuris fiat, et post hoc omnes sese praesentare possunt, scilicet suam candidaturam ponere possunt. Hanc sententiam Ill.mus tertius Consultor et Rev.mus Secretarius Ad. adversant, cum de iure particulari Germaniae agatur et non de norma generali.

Etiam Rev.mus secundus Consultor est pro suppressione verbi « quare ».

Idem Rev.mus primus Consultor loco « de mente sua rogatus » praeferret ut diceretur « nisi mentem suam iam manifestaverit », aut saltem in duabus §§ canon divideretur.

Contradicit Rev.mus Secretarius Ad. et post disceptationem textus remanet uti iacet, et servatur vox « quare », omnibus consentientibus.

Disceptatur insuper de loco ubi inserendus est canon, qui uti secundus huius articuli ponitur.

### *Canon 3 (novus)*

§ 1. Qui iure praesentationis gaudet, antequam praesentatio acceptetur, non tantum unum, sed etiam plures praesentare potest, et quidem tum una simul tum successive dummodo quos prius praesentaverit ne excludat.

§ 2. Nemo potest seipsum praesentare; potest autem Collegium aut coetus personarum aliquem sui membrum praesentare.

*Ad §1:* Rev.mus Secretarius Ad. sequentes mutationes proponit: post « gaudet », loco « antequam ... acceptetur », dicatur « ante institutionem factam »; supprimantur verba « dummodo ... ne excludat ».

Rev.mus primus Consultor non concordat cum suppressionibus propositis, quia praesentator alios praesentandi, cum exclusione iuris primi praes-

sentati, ius minime habet. Attendendum est insuper - dicit idem Rev.mus D.nus - periculum discriminationis. Coeterum, concludit, ius praesentationis non ligatur si praesentator alios praesentare potest, dummodo tamen ne ius prioris praesentati excludatur.

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit ante institutionem praesentationem semper libertatem praesentationem revocandi habere; et insistit ut verba « dummodo ... ne excludat » supprimantur.

Ill.mus quartus Consultor notat difficultatem provenire ex principio in can. 2 posito, nempe praesentandum certiores fieri debere de sua praesentatione.

Ill.mus quintus Consultor dubitat de convenientia revocationis praesentationis iam peractae, quia: 1) traditionale ius ad rem evanesceret; 2) propositio primi nominis non nimis accurate fieret, si retractari posset; 3) politica recta difficilis evaderet; praesentatio potius ludus quam res seria esset. Rationes quae forte contra praesentatum eminent, possunt semper Superiori communicari, sed revocatio praesentationis minime concedi debet.

Rev.mus Secretarius Ad. negat in casu praesentationis agi de iure ad rem; quod e contra sustinet Rev.mus primus Consultor; ipse enim tenet tantum in iure condendo qui praesentatur non amplius ius ad rem habere et ideo praesentatio revocari posse. Responsabilitas praesentatoris et Superioris augetur. Idem Rev.mus Vir proponit ut verba « ante institutionem factam » supprimantur tamquam superflua. Placet.

Ill.mus tertius Consultor tenet in casu revocationis praesentationis aliquam adesse violationem rationis quae personae debetur.

Post amplam disceptationem, convenitur: nihil de praesentationis revocatione dicatur, quia implicite in textu continetur. Erit quaestio, utcumque res ceciderit, pro tribunalibus administrativis (tertius Consultor).

Ideoque textus sic sonat: « Qui iure praesentationis gaudet, unum aut etiam plures, et quidem tum una simul tum successive, praesentare potest ».

*Ad § 2:* Placet cum sequenti emendatione: loco « membrum » dicatur « sodalem ».

#### *Canon 4 (novus)*

Nisi aliud iure statuatur, potest qui aliquem praesentaverit non idoneum repertum, altera tantum vice quandam praesentare, dummodo tempus utile ad praesentandum, de quo in can. 1 § 1, non fuerit elapsum.

Rev.mus primus Consultor aliquam habet difficultatem ex determinatione temporis utilis. Ipse vellet in casu praesentationis non idonei ut tantum intra mensem possilitas alium praesentandi adesset.

Disceptatio exsurgit, cuius in fine Ill.mus quintus Consultor notat nos ius praesentationis, quando Superior institutionem denegat, protegere intendere.

Ill.mus quartus Consultor animadvertisit melius esse novum terminum a primo independentem statuere, sive ipse sit trium sive unius mensis.

In fine disceptationis textus sic sonat: «Nisi aliud iure statuatur, potest qui aliquem praesentaverit non idoneum repertum, altera tantum vice, intra mensem, quendam praesentare». Coeteris in canone demptis.

Placet.

#### *Canon 5 (novus) (qui fit § 2 can. 4)*

Si praesentatus ante canonicam institutionem renuntiaverit aut de vita decesserit, potest qui iure praesentandi pollet, intra mensem ab habita renuntiationis aut mortis notitia, ius suum rursus exercere.

Ill.mus quintus Consultor proponit ut textus uti § 2 praecedentis canonis ponatur, cum eadem sit materia eademque regula proponatur.

Placet, cum emendatione proposita ab Ill.mo tertio et a Rev.mo primo Consultoribus, i.e.: loco «Si praesentatus ante canonicam institutionem ...» dicatur: «si praesentatus ante institutionem factam ...».

#### *Canon 5 (novus)*

Qui intra tempus utile, ad normam can. 1 §§ 1 et 4, praesentationem non fecerit, itemque qui bis praesentaverit non idoneum repertum, pro eo casu ius praesentationis amittit, atque auctoritati cuius est institutionem conferre competit officio vacanti libere providere.

Quid acciderit - sibi quaerit Rev.mus secundus Consultor - si Superior religiosus sodalem suaे religionis non idoneum vel intra tempus utile non praesentaverit, cum Superior instituere vel nominare aliquem religiosum sine sui Superioris consensu non possit?

Rev.mus Secretarius Ad., ad difficultatem a Rev.mo secundo Consultore prolatam solvendam, sequentem textum proponit, qui adiungendus est in fine canonis: «... providere, assentiente tamen si de sodali Instituti Perfectionis agatur, Moderatore eiusdem Instituti competenti».

Placet.

#### *Canon 6 (novus)*

§ 1. Auctoritas cui ad normam iuris competit praesentatum instituere obligatione tenetur instituendi praesentatum qui, intra tempus utile quidem praesentatus, idoneus repertus sit et acceptaverit; quod si plures

praesentati fuerint qui idonei reperti sint, eorundem unum instituere debet.

[§ 2. Non est in textu Relationis originalis, nec alio loco invenitur]

[§ 3. Non est in textu Relationis originalis, sed textus invenitur uti § 2 canonis in opusculo iam publici iuris facto: cfr. *Communicationes* 22 (1990) 157, can. 6.: Auctoritas ad institutionem conferendam competens, si institutionem denegat legitime praesentato qui idoneus repertus sit, pro eo casu amittit ius instituendi, quod quidem devolvitur ad auctoritatem immediate superiorum.]

*Ad § 1:* Ill.mus tertius Consultor verba « intra tempus utile » superflua retinet, quia iam superius dictum est et ex se patet. Coeterum si quis intra tempus utile non praesentatur, non est canonice praesentatus.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « legitime », et similiter post « quod si plures ». Placet.

Rev.mus primus Consultor tenet acceptationem valere tantum pro beneficiis et non pro officiis, quae beneficialia non sunt, quare petit ut verbum « acceptaverit » supprimatur. Post disceptationem textus uti est, cum emendationibus Ill.mi tertii Consultoris et Rev.mi Secretarii Ad., servatur.

Placet ergo § 1.

*Ad § 2:* Rev.mus secundus Consultor proponit ut haec paragraphus supprimatur, quia iam in can. 11 « de officiis » continetur. Statuit enim can. 11: « Cuiuslibet officiū provisio scripto, in actibus Curiae, consignetur ».

Rev.mus Secretarius Ad. notat textum istius § non ad validitatem esse, ideoque supprimi posse.

Placet omnibus Consultoribus ut § 2 supprimatur.

*Ad § 3:* Placet uti est et fit § 2.

\* \* \*

Transitus fit ad canonum « de rescriptis » considerationem. Videndum est, scilicet, quinam canones « de rescriptis », dicit Rev.mus Relator, valeant etiam de actibus indolis administrativa, et, data opportunitate, redactio eorundem canonum emendabitur.

#### *Canon 1 (novus)*

Quae in canonibus qui sequuntur de rescriptis statuuntur, de concessionibus gratiarum vivae vocis oraculo quoque valent, nisi aliud manifesto constet.

Ill.mus quintus Consultor quaerit utrum procedura pro omnibus actibus, quibus christifideles ad auctoritatem intendunt, sit illa de rescriptis necne.

Respondit Rev.mus Secretarius Ad. hoc tantummodo pro gratiis valere.

Rev.mus primus Consultor quaerit quid in nostro casu sit gratia, cum gratia detur ubi non est ius.

Ill.mus quintus Consultor instat et recolet quaestionem, quae nunc disceptatur, scilicet: quaenam elementa generalia ex canonibus de rescriptis sumi possunt uti regula pro actibus administrativis. Et aliquas ponit quaestiones: 1) quid de actibus quibus fideles ab Ecclesiae auctoritate executiva proprium ius petunt; 2) quaenam est procedura; 3) quid de criterio silentii auctoritatis administrativae.

Rev.mus Secretarius Ad. respondet non agi de problema procedurae administrativae quod ab alio coetu studii tractatur.

Ill.mus quintus Consultor instat proceduram esse modum procedendi sive ad lites solvendas, sive ad actus administrativos ponendos vel requirendos.

Ill.mus tertius Consultor animadvertisit difficultatem potius ex linguae ratione provenire. Pro aliquibus linguis vox «procedura» ambigua est. Latino sermone «processus» est «iudicium», dum «procedura» est «modus procedendi».

Rev.mus primus Consultor notat non omnia quae a fidelibus petuntur semper gratias esse.

Ill.mus quartus Consultor animadvertisit 27 canones nimios videri, quia hodie magis quam gratiarum concessio agitur de iurum agnitione. Gratiarum concessio in Ecclesia in dies rarior fit.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur: «... ad solam gratiarum impetrationem sese referunt, et quidem nisi aliud statuatur».

Rev.mus secundus Consultor tenet canonem omnia rescripta respicere et non tantum ea quae gratias concedunt.

Ill.mus quartus Consultor notat rescriptum esse responsum quod sive gratiae concessionem sive iuris agnitionem continere potest. Accedit Rev.mus Secretarius Ad., qui sustinet rescriptum auctoritatis responsum esse.

Ill.mus tertius Consultor animadvertisit rescripta dari quae rescripta vere non sunt, quia aliquid conceditur quod petitum non fuit.

Rev.mus Secretarius Ad. sequentem textum proponit: «Rescriptum est actus auctoritatis executivae competentis, ad petitionem alicuius editus, quo, verificatis conditionibus iure statutis, concessio vi iuris facienda revera fit, aut quo gratia aliqua ad normam iuris confertur».

Rev.mus secundus et Ill.mus quintus Consultores tenent solummodo primam partem textus propositi sufficere, usque ad verbum «editus».

Rev.mus Secretarius Ad. e contra tenet necessarium esse in definitione utramque rescripti speciem indicare.

Ill.mi tertius et quartus Consultores superflua retinent verba « verificatis ... » et « ... ad normam iuris », quia ad rescripti definitionem non pertinentia. Potest tamen dici « quo concessio fit aut gratia confertur ».

Rev.mus Secretarius Ad. alium textum proponit, prout sequitur: « Rescriptum est actus auctoritatis executivae competentis ad petitionem aliquius editus, sive concessionem vi iuris faciendam sive gratiam quae ad normam iuris fieri potest. »

Rev.mus primus Consultor duas difficultates pandit, quoad nempe verba « concessionem » et « ad normam iuris »: contradicunt, enim, ad gratiae conceptum, quia non semper secundum ius sunt.

Ill.mi tertius et quartus Consultores petunt ut expressio « ad normam iuris » deleatur quia in actus validitate incideret.

Rev.mus Secretarius Ad. observat diversam significationem habere expressionem « secundum ius » et « ad normam iuris ». Haec enim ultima expressio significat quae conceduntur, etsi contra ius sunt (uti omnes dispensationes), tamen ad normam iuris fieri debere, uti ex. gr., ad rationem sufficientem quod attinet.

Post disceptationem, sequens textus a Rev.mo Secretario Ad. proponitur: « Rescriptum est actus auctoritatis executivae competentis ad petitionem alicuius ad normam iuris editus, respiciens sive quae fieri debet provisio administrativa, sive quae conferri potest gratiae ».

Textus *provisorie* acceptatur.

#### *Canon 2 (CIC 36)*

§ 1. Rescripta a quacumque auctoritate, intra fines suae competentiae agente, impetrari libere possunt ab omnibus qui expresse non prohibentur.

(§ 2. Gratiae omne genus a competenti auctoritate concessae etiam censura irretitis validae sunt, salvo praescripto can. ... etc.).

*Ad § 1:* Pro omnibus valet de solis rescriptis. Textus forma singulari redigatur: « Rescriptum ... potest ... ».

*Ad § 2:* Valet pro gratiis tantummodo. Forma in singulari vertatur: « Rescriptum ... validum est ... ».

Ill.mo tertio Consultori petenti quaenam sit necessitas huius parraphi, respondet Rev.mus Secretarius Ad. non omnes petere posse quia aliqui excluduntur, ex.gr. poenae, inhabilitatis causa, ecc. ....

#### *Canon 3 (CIC 37)*

Rescriptum impetrari potest pro alio etiam praeter eius assensum, et valet ante eiusdem acceptationem, nisi aliud ex appositis clausulis appareat.

Canon pro gratiis tantummodo valet ideoque claritatis causa verbum «gratiae» post «rescriptum» adiungitur.

*Canon 4 (CIC 38)*

Rescripta quibus gratia conceditur sine interiecto exsecutore, effectum habent a momento quo datae sunt litterae; cetera a tempore exsecutionis.

Rev.mus primus Consultor notat exsecutionis rescripti quaestionem non solummodo ad gratias pertinere.

Rev.mus Secretarius Ad. sequentem suggestum: « Rescriptum quo provisionis gratiaeve concessio fit sine interiecto exsecutore, effectum habet ... ».

Ill.mus tertius Consultor notat in textu de exsecutore sermonem fieri antequam dicatur rescripta exsecutorem habere posse.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. rem in textu implicitam esse.

Placet textus prouti propositus est.

*Canon 5 (CIC 39)*

Conditiones in rescriptis tunc tantum essentiales pro eorundem validitate censentur, cum per particulas si, dummodo, vel aliam eiusdem significationis exprimuntur.

Valet pro omnibus rescriptis.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut sequentibus verbis textus in meliorem formam redigatur: « Conditiones ... tunc tantum ad validitatem concessionis censentur adiectae, cum per particulas ... ».

Placet.

*Canon 6 (CIC 40-42)*

§ 1. Validitati rescriptorum obstat subreptio seu reticentia veri, si in precibus expressa non fuerint quae secundum iurisprudentiam canonicam ad validitatem sunt exprimenda, nisi tamen rescripta motu proprio data sint.

§ 2. Item validitati rescriptorum obstat obreptio seu expositio falsi, si ne una quidem causa motiva proposita sit vera.

§ 3. Quae causa motiva, in rescriptis quorum nullus est executor, vera sit oportet tempore quo rescriptum datum est; in ceteris tempore exsecutionis.

*Ad § 1:* Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur: « Validitati rescripti ... nisi tamen agatur de rescripto gratiae quod motu proprio datum sit ». Placet.

Ill.mo quinto Consultori proponenti ut post « expressa » verbum « probata » adiungatur, contradicunt Rev.mi Secretarius Ad. et primus Consultor, quia in verbo « expressa » omnia continentur. Et Ill.mus quartus Consultor notat hic locum non dari sermoni de probatione.

Ill.mus quartus et Rev.mus secundus Consultores praferrent ut alio verbo quam « precibus » uteretur, praesertim pro rescriptis quae gratias non continent.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. « preces » « petitionem » significare.

Rev.mus primus Consultor proponit ut dicatur « in petitione seu in precibus ».

Disceptatio fit, cuius in fine Rev.mi sextus Consultor et Secretarius Ad. necnon Ill.mus tertius Consultor sunt pro servandis verbis « in precibus ». Ill.mus quartus et Rev.mus secundus Consultores pro « in petitione ». Rev.mus primus Consultor tenet pro expressione « in petitione seu in precibus ». Ill.mus quintus Consultor indifferens se declarat.

Remanet igitur textus « in precibus ».

*Ad § 2:* Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut post « rescriptorum » verbum « gratiae » adiungatur. Notat tamen Rev.mus secundus Consultor hoc in casu in aliis rescriptis, quae non sunt gratiae, obreptionem non obstarere. Remanet igitur textus prout iacet, redacta forma singulari voce « rescriptorum ».

*Ad § 3:* Nulla fit animadversio.

#### *Canon 7 (CIC 43)*

Gratia a quovis Dicasterio Romanae Curiae denegata, invalide ab alio eiusdem Curiae aliave competenti auctoritate, infra Summum Pontificem, conceditur, sine assensu Dicasterii quocum agi coeptum fuit.

Manet textus, qui pro rescripto gratiae tantum valet.

#### *Canon 8 (CIC 44)*

§ 1. Salvis praescriptis §§ 2 et 3, nemo gratiam a proprio Ordinario denegatam ab alio Ordinario petat, nisi facta denegationis mentione; facta autem mentione, Ordinarius gratiam ne concedat, nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus.

§ 2. Gratia a Vicario Generali vel a Vicario Episcopali denegata, ab alio Vicario eiusdem Episcopi, etiam habitis a Vicario adnegrante denegationis rationibus, valide concedi nequit.

§ 3. Gratia a Vicario Generali vel a Vicario Episcopali denegata et

postea, nulla facta huius denegationis mentione, ab Episcopo dioecesano impetrata, invalida est; gratia autem ab Episcopo dioecesano denegata nequit valide, etiam facta denegationis mentione, ab eius Vicario Generali vel Vicario Episcopali non consentiente Episcopo, impetrari (cfr. Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 14, § 4).

Servatur textus, qui tantummodo valet pro concessione gratiae et non pro iure detinendo.

#### *Canon 9 (CIC 46)*

Rescripta, etiam Motu proprio concessa, personae de iure communi inhabili ad consequendam gratiam de qua agitur, itemque edita contra aliquius loci legitimam consuetudinem vel statutum peculiare, vel contra ius alteri quaesitum, non sustinentur, nisi expressa derogatoria clausula rescripto apponatur.

Omnibus rescriptis applicari potest.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut post «consequendam» dicatur «provisionem gratiamve».... Placet.

Rev.mus primus Consultor vellet ut quisnam adiungere clausulam derogatoriam possit indicetur. Respondet Rev.mus Secretarius Ad. posse qui competens est ad illud faciendum, attamen hic dici non debere.

#### *Canon 10 (CIC 47)*

Rescripta non fiunt irrita ob errorem in nomine personae cui vel a qua conceduntur, aut loci in quo ipsa moratur, aut rei de qua agitur, dummodo, iudicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio.

Manet textus utpote generalis.

Ill.mus quintus Consultor animadvertisit rescripta etiam a Tribunali administrativo dari posse, ideoque adiungenda esset, post « iudicio Ordinarii », mentio Tribunalis.

Respondet Rev.mus primus Consultor iudicium Ordinarii non de materia rescripti, sed de personae identitate esse.

Manet textus prouti exstat.

#### *Canon 11 (CIC 48)*

§ 1. Si contingat ut de una eademque re duo rescripta inter se contraria impetrentur, peculiare, in iis quae peculiariter exprimuntur, praevalet generali.

§ 2. Si sint aequae peculiaria aut generalia, prius tempore praevaleat posteriori, nisi in altero fiat expressa mentio de priore, aut nisi prior imperator dolo vel notabili negligentia suo rescripto usus non fuerit.

§ 3. In dubio utrum rescriptum irritum sit necne recurratur ad rescriptentes.

Potest remanere textus, quatenus criteria generalia continet.

*Quoad § 3:* Ill.mus tertius Consultor preferret ut diceretur « rescriptentem » loco « rescriptentes »; tamen Rev.mus Secretarius Ad. insistit ut textus servetur.

*Canon 12 (CIC 49)*

Rescripta intelligenda sunt secundum propriam verborum significacionem et communem loquendi usum, nec debent ad casus alias praeter expressos extendi.

Placet ut remaneat: pro omnibus valet rescriptis.

*Canon 13 (CIC 50)*

In dubio, rescripta quae ad lites referuntur, vel iura aliis quaesita laedunt, vel adversantur legi, in commodum privatorum, strictam interpretationem recipiunt; cetera omnia latam.

Pro omnibus valet rescriptis ideoque placet ut remaneat uti est.

*Canon 14 (CIC 51)*

Rescriptum, in quo nullus datur exsecutor, tunc tantum debet Ordinario impetrantis praesentari, cum id in eisdem litteris praecipitur, aut de rebus agitur publicis, aut comprobare conditiones quasdam oporteat.

Placet, sed loco « agitur », dicatur « agatur ».

*Canon 15 (CIC 52)*

Rescripta, quorum presentationi nullum est definitum tempus, possunt exsecutori exhiberi quovis tempore, modo absit fraus et dolus.

Placet ut remaneat; continet enim regulam generalem classicam.

*Canon 16 (CIC 53)*

Rescripti exsecutor invalide munere suo fungitur, antequam litteras receperit earumque authenticitatem et integritatem recognoverit, nisi

prævia earundem notitia ad eum fuerit auctoritate resribentis transmissa.

Nulla fit animadversio.

*Canon 17 (CIC 54)*

§ 1. Si in rescripto committatur merum exsecutionis ministerium, exsecutio rescripti denegari non potest, nisi aut manifesto appareat rescriptum esse nullum vel sustineri non posse, aut in rescripto apponantur conditiones quas exsecutori constet non esse impletas; si tamen is in cuius favorem rescriptum est concessum adeo, iudicio exsecutoris, videatur indignus ut aliorum offensioni futura sit gratiae concessio, exsecutor exsecutionem intermittat atque de re statim certiore faciat resribentem.

§ 2. Quod si in rescripto concessio gratiae exsecutori committatur, ipsius est pro suo prudenti arbitrio et conscientia gratiam concedere aut denegare.

Placet; tamen ex propositione Rev.mi primi Consultoris in § 1 post «futura sit» dicatur «provisionis gratiaeve concessio»; in § 2 textus est: «Quod si in rescripto ipsa concessio exsecutori committatur...».

*Canon 18 (CIC 55)*

Exsecutor procedere debet ad mandati normam, et nisi conditiones essentiales in litteris appositae impleverit ac substantiale procedendi formam servaverit, irrita est exsecutio.

Nulla fit animadversio.

*Canon 19 (CIC 56)*

Exsecutio rescriptorum quae forum externum respiciunt, scripto facienda est.

Nulla fit animadversio.

*Canon 20 (CIC 57)*

Rescriptorum exsecutor potest alium pro suo prudenti arbitrio sibi substituere, nisi substitutio prohibita fuerit, aut electa industria personae, aut substituti persona praefinita; quibus tamen in casibus exsecutori licet alteri committere actus praeparatorios.

Nulla animadversio fit.

*Canon 21 (CIC 58)*

Rescripta quaelibet exsecutioni mandari possunt, etiam ab executoris successore in officio vel dignitate, nisi fuerit electa industria personae.

Nihil animadvertisit.

*Canon 22 (CIC 59)*

Exsecutori fas est, si quoquo modo in rescriptorum exsecutione erraverit, iterum eadem exsecutioni mandare.

Nulla fit animadversio.

*Canon 23 (novus)*

Nemo uti tenetur rescripto in sui dumtaxat favorem concesso, nisi aliunde obligatione canonica ad hoc teneatur.

Placet, cum pro omnibus valeat rescriptis.

*Canon 24 (CIC 79)*

Quamvis gratia oretenus sibi concessa quis in foro interno uti possit, tenetur illam in foro externo probare, quoties id legitime ab eo petatur.

Tantum gratias textus respicit et non provisionem, quia gratia pro foro interno dari potest, sed non officium.

*Canon 25 (CIC 60)*

§ 1. Revocatio rescripti per actum peculiarem Superioris effectum tantummodo obtinet a momento quo significetur ei qui rescriptum obtinuit.

§ 2. Per legem contrariam nulla rescripta revocantur, nisi aliud in ipsa lege caveatur, aut lex lata sit a Superiore ipsius resribentis.

Placet, tamen in § 1 loco « Superioris » dicatur « auctoritatis competen-  
tis »; in § 2 verba « aut lex lata sit a Superiore ipsius resribentis » substi-  
tuuntur cum verbis « aut lex lata sit ab auctoritate ipsi resribenti superiore ».

*Canon 26 (CIC 61)*

Per cessationem resribentis ab officio, rescriptum ab eodem conces-  
sum non perimitur, nisi aliud ex appositis clausulis appareat, aut rescriptum  
contineat potestatem alicui factam concedendi gratiam peculiaribus  
personis in eodem expressis, et res adhuc integra sit.

In textu tantum gratia consideratur.

*Canon 27 (CIC 62)*

Si rescriptum contineat non simplicem gratiam, sed privilegium vel dispensationem, serventur insuper praescripta canonum qui sequuntur.

Tollantur verba «... non simplicem gratiam, sed...».

\* \* \*

Canonibus de rescriptis examinatis, Rev.mus Secretarius Ad., ad clarificandas ideas circa rescripta et decreta, casum ponit in quo decretum datur post porrectas preces, quod ideo ex eo fit rescriptum, quatenus responsum ad preces.

Rev.mus primus Consultor notat etiam legem ferri posse ex quorundam petitione.

Ill.mus quintus Consultor observat auctoritatem responsum dare teniri modo congruenti cum rei natura.

Iuxta sententiam Rev.mi sexti Consultoris, commixtio in casu proposito non datur, quia decretum nemini dirigitur, est absolutum et a precibus abstrahit; dum e contra rescriptum potentibus dirigitur.

Rev.mus Secretarius Ad. notat revera, si responsum datur in forma decreti, tamquam non petitum praesentari, neque ullum respectum habere ad preces; dum e contra si in forma rescripti datur, respectum ad preces habere. Ideoque si decretum vocatur sub rescriptorum regulis non cadit.

Rev.mus primus Consultor animadvertisit aliquam relationem decretum cum rescriptis *motu proprio* datis habere. Auctoritas, enim, administrativa — et hoc est proprium — sponte procedere potest.

Iuxta sententiam Ill.mi quarti Consultoris, quaestio potius nominalis est, quae cum uno vel altero systemate iuridico connectitur.

Rev.mus Secretarius Ad. notat possibilitatem adesse ut vox *rescriptum gratiis, decretumque* aliis concessionibus reservetur.

Ill.mus quintus Consultor observat in iure canonico regulas pro actibus administrativis individualibus non haberri, et rescriptum formam propinquorem esse experientiae administrative modernae.

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit dispensationum et gratiarum proxim magis extensam esse in iure canonico quam in iure civili. Quaerit insuper quid Consultores sentiant de normis hac de re parandis, ita ut gratiae quaecumque, quae ad petitionem dantur, sub forma dentur rescripti omnesque aliae provisiones - sive potentibus sive non - sub forma dentur decreti. In hac ultima factispecie petitio non est basis concessionis; agitur enim de casu, in quo necessario auctoritas administrativa actum ponit, etsi porrectae sunt preces, uti accidit, ex. gr. quando quis, qui officium petivit, nominatur.

Tamen difficultas ad normas modo proposito faciendas — notat idem Rev.mus D.nus — ex executione provenit, quae pro decretis numquam voluntaria esse potest.

Ill.mus tertius Consultor notat aliquid de distinctione exsecutoris adiungi posse.

Rev.mus primus Consultor retinet distinctionem inter exsecutorem voluntarium et necessarium pro nostra quaestione magni momenti non esse.

Rev.mus Secretarius Ad. sensum novi canonis proponit: « Rescriptum est actus auctoritatis exsecutivae competentis ... (uti supra in pag. 12 relatum: cfr. *Communicationes* 22 [1990] 241) aliasve gratiae quae natura sua ad petitionem alicuius confertur. Decretum (particulare) ... qui natura sua non ad petitionem datur et directe bonum commune respicit ».

Ill.mus quartus Consultor animadvertisit necessarium esse sub titulo « de rescriptis » omnes actus gratiosos unire: privilegia, nempe, dispensationes etc....

Rev.mus Secretarius Ad. tenet ea omnia sub titulo « de actibus auctoritatis exsecutivae » uniri debere.

Iuxta Rev.mi primi Consultoris sententiam, quodquod per rescriptum fit, gratiae concessionis administrative characterem habet. Tamen campo potestatis exsecutivae activitatis, quae per rescriptum exercetur, opponitur praceptum, quo quis iubetur quiddam facere aut omittere. Attamen inter gratiam et iussum campus existit activitatis exsecutivae sat amplius, qui agendo respicit ordinarie contingentia; ideoque hic campus potest ordinarius dici activitatis exsecutivae ad casus concretos ordinandos quod attinet. Qua de causa patet distinctionem potestatis voluntariae seu gratiosae et potestatis contentiosae, quatenus ad activitatem exsecutivam relata sit, completam non esse. Et recolet ea quae de hac quaestione in suo voto diei 7 novembbris 1967, pp. 20-23 scripsit.

Cum Codex multa de rescriptis et nonnulla tantum in genere de praceptis (cann. 24, 1933 § 4, 2225) afferat, lacuna maxima in hoc habetur, quae impleri debet. Nulla enim iurium tuitio in Codice habetur personae quae praceptum patitur. Loquendum insuper est de pracepto ad instar sententiae et ad instar legis (cfr. Votum Rev.mi primi Consultoris de actibus administrativis in Ecclesia, d. 7 nov. 1967).

Rev.mus primus Consultor suum interventum concludens, aliqua principia affirmit: nemini praceptum dari potest, nisi prius auditus fuerit; distinctio facienda est inter decretum particulare et praceptum; praceptum est urgere obligationem quae decreto data est; rescriptum gratiae reservatur; decretum dupli procedura, id est tum proprio marte, tum ad petitionem partis, ab organo administrativo fertur.

Ad ea quae Rev.mus primus Consultor protulit, Ill.mus tertius Consul-

tor animadvertisit obligationem semper remanere, ex parte eius qui decretum facit, veritatem factorum stabiendi, sive ad petitionem sive sponte decretum detur.

Rev.mus Secretarius Ad. observat decretum minime a petitionis veritate pendere posse. Differentia inter decretum et rescriptum praecise haec est: si preces veritate non nituntur, decretum est validum et sustinetur, quamvis revocari possit; dum rescriptum non est validum. His dictis accedunt Ill.mi quartus et tertius Consultores.

Rev.mus primus Consultor notat actus administrativos generaliter revocari posse, sed non omnes, uti qui super alios actus effectum habent et basis aliorum sunt.

Ill.mus quartus Consultor animadvertisit melius esse ut revocationis conceptus introducatur quam auctoritatis actus validitas particularis vel inferioris veritati subiciatur.

Rev.mus primus Consultor adhuc expostulat quid de iuribus erit quaesitis, quae fortasse per decretum laeduntur, cum decretum iura quaesita laedere non possit.

Contradicit Rev.mus Secretarius Ad., qui tenet decretum in legis exsecutionem dari, et si lex iura quaesita tollit, etiam decretum ea tollere posse; secus non. Activitas administrativa saepe agit in legis applicationem, tamen non raro ista activitas ubi adhuc non est lex agit.

Ill.mus quintus Consultor dicit se de hac materia ius gallicum, germanicum, italicum, hispanicum et cecoslovachum comparavisse et ad modum conclusionis haec refert:

1) Decretum vim habet per semetipsum, si per decretum actum individualis non gratiosum publicae administrationis intendimus.

2) Causae decreti nullitatis a iure sequentes sunt: auctoritatis incompetencia ad decretum ferendum; quae in decreto continentur impossibilia sint vel delictuosa; decretum fertur absque ulla procedurae normarum observantia; decretum ab organo collegiali latum, normis efformationis voluntatis collegialis non servatis.

3) Ad incidentiam particularis in decreto quod attinet, sequentes causas eminent: decretum quod est finis artificii positi ab eo qui aliquod interesse in re habet; decretum quod per se auctoritas tulit, tamen eius itinere perdurante aliorum ratio patet; quando boni publici ratio in decreto habeatur, necesse est ut tempus pro publica informatione concedatur; recursus contra decretum.

4) Casus in quibus requiritur ut in decreto causae vel motiva in iure et in facto exponantur: cum agitur de iurium subjectivorum acquisitorum limitatione; in decretis quae recursus solvunt; decreta in quibus Superior

praeiudicia secutus non est; decreta quibus actus suspenduntur, in casu recursus in suspensivo.

Ill.mus quartus Consultor notat iuris administrativi tractatui hic locum non dari. Doctrina nobis inservit ad problemata practica solvenda. Rescriptum reservandum est pro actibus gratiae, dum decreta pro actibus administrativis, qui normas individuales vel particulares contineant. In practica hoc facilis est quam in doctrina. Non est insuper necessarium ut titulus specialis «de actibus administrativis» habeatur.

Ill.mus quintus Consultor tenet actum administrativum in iure canonico iisdem regulis quam actum iuridicum tractari debere. In omnibus enim actibus iuridicis canonicis interventus auctoritatis habetur, sive ipsi sint publici, gratiosi vel non gratiosi, sive privati.

Ill.mus tertius Consultor animadvertisit actus administrativi theoriam sub forma legis dandam non esse. Actus administrativi enim proprium est continenter mutare et impossibile est omnes vitae factispecies fingere.

Rev.mus primus Consultor notat, ut leges rite fiant, doctrinam prae oculis habendam esse. Necessarium insuper censemt ut differentia stabiliantur inter actus administrativos, qui actus gratiae sunt et alios, et dein distinguatur inter decretum et praeceptum tamquam obligatio iuridica quae datur ut aliquid quis adimpleat. Refert insuper ea quae in voto scripto (d. 26 octobris 72) prompsit, instando ut praecepti administrativi species clare in novo Codice reguletur ne persona eiusque iura detrimentum patiantur. Secus «praeceptum gladius dici potest organorum exexecutivorum».

Ill.mus quartus Consultor notat canones de praeceptis inter canones generales, vel melius, inter canones de potestatis regiminis exercitio inserendos esse.

Rev.mo secundo Consultori non videtur ratio huius perlongae disceptationis, cum iam textus canonum de potestatis exexecutivae actibus administrativis singularibus habeatur. Qui actus possunt esse: praeceptum, praeceptum poenale, decretum particulare, alicuius entis erectio, officii provisio canonica, approbatio, privilegii necnon facultatis concessio, etc. Ad summum, postquam omnes canones recogniti sint, aliqui adiici possunt canones generales, ut tota materia in forma quadret.

Rev.mus primus Consultor adhuc notare intendit conceptum iuridicum gratiae concessionis petitionis conceptum non secumferre, ideoque gratiae concessionem non de se sub rescripti forma dari posse vel debere.

Rev.mus Secretarius Ad. disceptationem reassumit et notat omnes concordare circa iuris fontes et administrativos actus. Aliqua quaestio remanet de iis, quae non gratiae sed actus administrativi singulares sunt.

Ill.mus tertius Consultor adnotat concessiones assimilari privilegiis praeter ius.

Rev.mus primus Consultor animadvertisit omnia, quae ad facultatum concessiones spectant, nunc in titulo « de privilegiis » recensita, inter canones « de exercitio potestatis regiminis » transferenda esse, et quidem post canones de facultatibus habitualibus quae viam tenent medianam inter potestatem ordinariam et delegatam.

Concordant alii Consultores et Rev.mus Secretarius Ad. pro proxima Sessione aliquod de materia disceptata schema parabit.

\* \* \*

Sessionis labor prosequitur cum examine schematis canonum « de procedura administrativa », iam ad Episcopos pro observationibus missi, quorum textus Rev.mus Secretarius Ad. legit.

Videndum est utrum aliquid in illis canonibus habeatur quod decreti vel rescripti notionem respiciat.

Votum a Consultoribus promittit ut in schemate « de procedura administrativa » canones de ferendis decretis non adnumerentur. Quae actus administrativos respiciunt in normis generalibus inserenda sunt. In procedura tantum de ipsa tractetur.

### *Canon 1*

Quae hac lege de decretis statuuntur, item applicanda sunt ad rescripta, praecepta, dispensationes, licentias, et generatim ad omnes administrativos actus, qui singulis personis vel communitatibus extra iudicium dantur, iis exceptis, qui ab ipso Romano Pontifice vel a Concilio Oecumenico ferantur.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut post verba « item applicanda sunt » dicatur « quatenus applicabilia sunt ».

Ill.mus quartus Consultor praeferret ut actuum administrativorum enumeratio deleatur, cum omnis enumeratio in iure periculosa sit.

Per definitionem patet — notat Rev.mus primus Consultor — actus administrativos extra iudicium ponni, ideoque verba inutilia esse.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « ... ad omnes administrativos actus qui singulis personis ... » .

Ill.mus tertius Consultor animadvertisit, si schema istud ante novum Codicem publicatur, canones, qui nunc examini subiciuntur, in loco proposito remanere debere.

### *Canon 2*

Hac lege nihil mutatur de iure vigenti quod attinet ad leges, ordinaciones, instructiones, decreta generalia, aliasque eiusmodi actus ferendos vel impugnandos.

Eorum autem praescripta, quae legi vel ordinationi superioris auctoritatis adversari iudicet, iudex applicare non potest; quod si in quolibet iudicij gradu et stadio constet quaestionem de praescripti invaliditate iam ad Apostolicam Sedem ab aliquo Superiore ecclesiastico esse delatam, tribunal debet iudicium suspendere, Apostolicam Sedem certiorem faciens eiusque responsum exspectans.

Proceduram canon respicit, notat Rev.mus Secretarius Ad., ideoque a nostro labore alienus est.

Rev.mus primus Consultor, e contra, retinet quae in canone dicuntur ad nostrum laborem pertinere, quatenus regulas legitimitatis activitatis administrativae statuunt.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. istas regulas iam in canonibus de decretis contineri.

### *Canon 3*

Quae hac lege statuuntur, eatenus valent, quatenus aliter non caveatur in canonibus, qui de singulis negotiorum generibus normas dant; quod vero attinet ad rationem procedendi et ad iudicium et advocatorum qualitates, lex particularis, etiam a Conferentia Episcopali vel ab Episcopo lata, alias normas, ad liceitatem servandas addere potest, quae praescriptis iuris communis non derogent ».

Canon non respicit nostrum laborem.

### *Canon 4*

§ 1. Antequam decretum extra iudicium ferat, Superior necessarias notitias et probationes exquirat; nisi impossibile vel omnino superfluum sit, eos omnes saltem audiat, quorum iura laedi possunt; petitori vel recurrenti, et etiam legitime contradicenti, notitias et probationes omnes patefaciat, quae sine publici vel privati damni periculo cognosci possint, et rationes forte contraria ostendat, data eis facultate respondendi, et etiam, dum ne id celeritati noceat, patronum et peritum constituendi.

§ 2. Quod si agatur de decreto, quo recursus adversus aliud decretum deciditur, recurrentis semper ius habet advocationem vel procuratorem adhibendi, vitatis inutilibus moris; immo vero patronus *ex officio* constituantur, si recurrentis patrono careat et Superior necessarium censeat; semper tamen potest Superior iubere ut recurrentis ipse compareat ut interrogetur.

*Ad § 1:* Respicit haec paragraphus actum ponendum, attamen usque ad verba « facultate respondendi », ut notat Ill.mus quartus Consultor. Reliqua ad nostrum coetum non pertinent.

*Ad § 2: agitur tantum de recursu.*

*Canon 5*

§ 1. Recepta petitione vel recursu ad decretum obtainendum, Superior decretum intra sexaginta dies ferat; quod si non fecerit, et petitor recurrens scripto instet ut decisio detur, tricesimo die, ex quo haec instantia ad Superiorem pervenit, petitio vel recursus pro reiecto habetur, ita ut recursus adversus reiectionem proponi possint, tamquam si eo die per decretum prolata sit.

§ 2. Lex particularis, de qua in can. 3, potest de hac re terminos breviores statuere, vel etiam, quod attinet ad nonnulla gravioris difficultatis negotia, longiores.

Hae paragraphi non pertinent ad nostrum laborem; attamen Rev.mus primus Consultor animadvertisit ad nos terminum pertinere quo de recepta petitione statuitur, quoque de petitione ad decretum obtainendum, non tamen de recursu. Petitor, enim, habet ius ut organum administrativum ageare cogatur.

Ill.mus quartus Consultor problema administrationis silentii illustrat, quod potestatis administrativa activitas ex undique respicit; ideoque textus pro nostro labore inutile non est; sed tamen anceps est Ill.mus Vir de textus in normis generalibus insertione.

Rev.mus primus Consultor notat normam, uti in hoc canone ponitur, magis appropinquari normis de iudiciis ferendis. Iudex enim agere potest tantum si suum auxilium petitum est. Usque adhuc activitas administrativa libera erat, dum hic consulto restringitur, quia qui petit ius habet ut sua respondeatur petitioni.

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit, si aliqui canones generales de omnibus actibus administrativis fiunt, normam, quae in hoc canone continetur, inseri posse. Attamen, quae hic dicuntur tantum decreta singularia vel particularia respiciunt, ideoque nostra tantummodo prima pars § 1 huius canonis 5 interest, quae petitionem respicit.

Certe - concludit idem Rev.mus D.nus - quidam canones generales de omnibus actibus administrativis confici debent.

*Canon 6*

§ 1. Qui decretum fert, id prae oculis habeat et intendat, quod animalium saluti et publico bono maxime conducere videatur, servata quidem lege et generali et particulari, iustitia, canonica aequitate.

§ 2. Decretum scripto feratur, expressis, saltem summarie, motivis; quod si forte gravissima ratio obstet, ne motiva patefiant, haec in secreto

documento exprimantur, quod ei, qui de recursu forte adversus decretum proposito videbit, erit ostendendum.

*Ad § 1:* Ill.mus tertius Consultor tenet quae in hac paragrapho contineri non nocere uti praeambula pro canonibus generalibus ponere.

Contradicit Rev.mus Secretarius Ad., qui tenet rem per se patere. De lege, ex. gr., non dicitur, enim, quod pro bono communis ferri debeat, etc.; nam hoc pertinet ad iuris philosophiam.

Ill.mus quartus Consultor animadvertisit inutile non esse ut id auctoritati administrativa in memoriam revocetur. Legislator enim saepe collegialis est, amplissimique dignitatis gradus, quod tantummodo de auctoritate administrativa non accidit.

Iuxta Rev.mi primi Consultoris sententiam oportet ut enunciationem textus contineat: a) decretum administrativum legitimum necnon legibus et consuetudinibus conforme esse debet; b) ultra intendere oportet salutem eius ad quem dirigitur. Ideoque eidem Rev.mo Domino videtur monitionem servandam esse. Ratio quodammodo formalis auctoritatis administrativa activitatis animarum salus est.

Ill.mus quartus Consultor verba « iustitia, canonica aequitate » suppri- mire vellet, ne philosophiae moralis ingrediantur limites. Agitur enim de conceptibus abstractis.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « iuxta exigentiam salutis animarum et boni communis, servata lege necnon aequitate canonica ».

*Ad § 2:* Rev.mus primus Consultor notat motiva in decreto alligari non debere, quod e contra requiritur si de decreto agatur, quod recursum decidit.

Neque in rescriptis, animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad., alligandae sunt rationes, quia rescripta iuxta preces dantur.

Omnes concordant hanc paragraphum ad quaestionem nostram non pertinere.

#### Canon 7

§ 1. Decretum statim vim habet, postquam ei, ad quem destinatur, ad normam cann. 1716-1722 Codicis Iuris Canonici est notificatum, vel aliter scripto intimatum; quod si gravissima obstet ratio ne scriptus decreti textus tradatur, potest Superior iubere ut decretum ei coram duobus testibus legatur, processu verbali redacto, ab omnibus praesentibus subscribendo.

§ 2. Si autem is, ad quem decretum destinatur, rite vocatus ad decretum accipiendo vel audiendum, sine iusta causa non comparuerit vel subscribere recusaverit, decretum pro intimato habetur.

*Ad § 1:* Rev.mus primus Consultor praefert ut in textu dicatur « Decretum statim vim ... legitime notificatum ... ».

*Ad § 2:* ad quaestionem nostram non pertinet haec paragraphus.

\* \* \*

Examine canonum « de procedura administrativa » peracto, Rev.mus Relator Consultorum sententiam expostulat de quibusnam enuntiandis normis generalibus, quae pro omnibus in genere *actibus administrativis* valeant.

Ill.mus quartus Consultor tenet, praeterquam aliquos canones « de rescriptis », ex canonibus nuper examinatis, in normis generalibus inseri posse: can. 4 § 1, can. 5 § 1, can. 6 § 1 et can. 7 § 1.

Rev.mus Secretarius Ad. tenet in primis requiri canonem qui pro omnibus actibus administrativis valet, sive ad petitionem sive non ad petitionem detur.

Proponit insuper ut titulus inscribatur: « Regulae ad omnes actus administrativos communes ».

Iuxta sententiam Ill.mi quinti Consultoris quaestio satis salebrosa est, et promittit se traditurum esse, non ante tamen finem mensis iunii, schema de hac materia.

Omnes convenient necessarium non esse ut definitio actus potestatis administrativae in textu tradatur. Pariter convenient ut titulus « normae communes de actibus administrativis » inscribatur.

Ad canones « de praeceptis » quod attinet, Ill.mus quartus Consultor notat in can. 1 sermonem esse de potestate exsecutiva, dum in aliis canonibus sermo fit de potestate regiminis, quae largior est quam prima adeoque instat ut terminus semper sibi constans utatur.

Rev.mus Secretarius Ad. observat canonem adiungi debere de praeceptis a potestate editis dominativa. Animadvertis insuper can. 4 § 1 ad decretum particulare tantummodo pertinere, ideoque inter actuum administrivorum normas communes inserendum non esse.

\* \* \*

Ad ordinem systematicum Libri I quod attinet, durante disceptatione huius Sessionis, Rev.mus Secretarius Ad. proposuerat ut, servatis, prout iacent, titulo I necnon tituli II inscriptione, ordo in eodem titulo II sequens esset:

Cap. I: De instructionibus et decretis (generalibus et singularibus).

Cap. II: De praeceptis.

Cap. III: De rescriptis:

Art. I: In genere (cum canone qui rescripti notionem continet).

Art. II: De privilegiis.

Art. III: De dispensationibus.

Cap. IV: De statutis et ordinibus.

Rev.mus primus Consultor tenet normas de decretis generalibus, et forsan particularibus, necnon de instructionibus et directoriis in unum complexum tradi debere, utpote activitatis potestatis administrativae emanationes.

Ill.mus quintus Consultor proponit ut titulus de actibus administrativis, post titulum de iuris fontibus ponendus, sic componatur:

Cap. I: De actibus administrativis in genere;

Cap. II: De normis administrationis;

Cap. III: De actibus administrativis particularibus vel singularibus.

Ordo ab Ill.mo quinto Consultore propositus nimiam redolet theoriam secundum Rev.mum Secretarium Ad., qui dicit se non intelligere distinctionem inter caput I et caput II; et quaerit utrum agatur de normarum separatione, quae actus administrativos generales et actus administrativos singulares spectant.

Valde de hoc punto disceptatur inter Rev.mum Secretarium Ad. et Ill.mum quintum Consultorem. In fine Rev.mus Relator sequentem ordinem systematicum rerum dicendarum proponit:

Lib. I: DE NORMIS GENERALIBUS

Tit. I: De fontibus iuris.

Cap. I - De legibus.

Cap. II - De consuetudine.

Tit. II: De decretis atque praeceptis generalibus et de instructionibus.

Tit. III: De actibus administrativis singularibus.

Cap. I: Normae communes.

Cap. II: De decretis singularibus.

Cap. III: De praeceptis singularibus.

Cap. IV: De rescriptis.

Cap. V: De privilegiis.

Cap. VI: De dispensationibus.

Cap. VII: De statutis et ordinibus.

Reliqui tituli, uti iam in anteacta sessione, remanent dispositi: videlicet:

- Tit. III: De potestatis regiminis exercitio.
- Tit. IV: Detemporis supputatione.
- Tit. V: De personis physicis.
- Tit. VI: De personis iuridicis.
- Tit. VII: De actibus iuridicis.
- Tit. VIII: De officiis ecclesiasticis.

Ordo hoc modo compositus omnibus placet.

Animadversiones tamen dantur de canonum schemate confiendo: per quantum possibile, ne definitiones in canonibus tradantur; de rescriptis dicendum tantum erit actus esse quibus gratia conceditur, distinctione omissa de rescriptis ad petitionem vel non.

Rev.mus primus Consultor valde instat ut distinctio inter praecepta ad instar legis (quo norma imponitur) et praecepta ad instar sententiae (quo ius in casu concreto applicatur, ideoque iuris consequentia statuitur) servetur, utpote valde practica et in iure Codicis innixa (cfr. Votum scriptum Rev.mi primi Consultoris d. 7/XI/67).

Contradicit Rev.mus Secretarius Ad., qui negat distinctionem in Codice haberet eam theoreticam et non practicam esse.

Coetus Sessionis laboribus, hora 12 diei 16 martii 1973, finis imponitur.

Romae, 16 martii 1973.

M. DE NICOLÒ

*Adiutor a studiis*

N.B. Ut *Appendix* hic publici iuris fit textus canonum usque adhuc approbatorum a Coetu « De Normis generalibus » ac respicientium titulos « De legibus ecclesiasticis », « De consuetudine », « De temporis supputatione », « De rescriptis », « De privilegiis », « De dispensationibus », « De praeceptis », « De instructionibus et de decretis », « De statutis et ordinibus ».

Textus autem canonum iam approbatorum a Coetu « De Personis physicis et iuridicis » « De potestatis regiminis exercitio », « De personis physicis », « De personis iuridicis », « De actibus iuridicis » et « De officiis ecclesiasticis » iam publici iuris factus est in *Communicationes* 22 (1990) 143-165.

## APPENDIX

### CANONES APPROBATI A COETU «DE NORMIS GENERALIBUS» \*

#### TITULUS I DE LEGIBUS

##### *Canon 8 (novus)*

Leges instituuntur, cum promulgantur.

##### *Canon 9*

§ 1. Leges Ecclesiae universales promulgantur per editionem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali*, nisi in casibus particularibus alias promulgandi modus fuerit praescriptus; et vim suam exserunt tantum expletis tribus mensibus a die qui *Actorum* numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta.

§ 2. (*textus propositus*). Earundem legum textus tempore opportuno communicabitur cum omnibus Episcoporum Conferentiis et, si specialiter religiosos respiciunt, etiam Supremis Religionum moderatoribus, ut eodem ex tempore quo in Urbe etiam in variis territoriis divulgari valeant; textus autem ne divulgetur, nisi postquam leges ad normam § 1 promulgatae sunt.

§ 3. Leges ab inferioribus legislatoribus latae promulgantur modo ab ipsis his legislatoribus determinato et obligare incipiunt a die ab iisdem statuto.

##### *Canon 10*

Leges respiciunt futura, non praeterita, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur.

##### *Canon 11*

Irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse statuitur.

\* Aprile 1973.

*Canon 12*

Legibus mere ecclesiasticis tenentur soli baptizati pro quibus latae sunt, quique sufficienti rationis usu gaudent, et nisi aliud iure expresse ca-veatur, qui septimum aetatis annum expleverunt.

*Canon 13*

§ 1. Legibus universalibus tenentur ubique terrarum omnes pro qui- bus latae sunt.

§ 2. A legibus autem universalibus, quae in certo territorio non vi- gent, eximuntur omnes illi qui in hoc territorio actu versantur.

§ 3. Legibus conditis pro peculiari territorio ii subiiciuntur pro qui- bus latae sunt quique ibidem domicilium vel quasi-domicilium habent et simul actu commorantur, firmo praescripto can. 14.

*Canon 14*

§ 1. Leges particulares non praesumuntur personales, sed territoria- les, nisi aliud constet.

§ 2. Peregrini:

1° Non adstringuntur legibus particularibus sui territorii quamdiu ab eo absunt, nisi aut earum transgressio in proprio territorio noceat, aut leges sint personales;

2° Neque legibus territorii in quo versantur, iis exceptis quae or- dini publico consulunt, aut actuum sollemnia determinant, aut res immo- biles in territorio sitas respiciunt.

§ 3. Vagi obligantur legibus tam universalibus quam particularibus quae vigent in loco in quo versantur.

*Canon 15*

Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent; in dubio autem facti in eis dispensare possunt Ordinarii, nisi agatur de di- spensatione quam Suprema Ecclesiae auctoritas sibi aut alii auctoritati re- servaverit.

*Canon 16*

§ 1. Ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium, sicut et aliae cau- sae quae imputabilitatem minuunt vel tollunt, licet a culpa excusare possint, earundem tamen effectum minime impediunt, nisi aliud expresse statuatur.

§ 2. Ignorantia vel error circa legem aut poenam aut circa factum proprium aut circa factum alienum notorium generatim non praesumitur; circa factum alienum non notorium praesumitur, donec contrarium probetur.

*Canon 17*

§ 1. Leges authentice interpretatur legislator et is cui potestas authentice interpretandi fuerit ab eodem commissa.

§ 2. Interpretatio authentica per modum legis exhibita eandem vim habet ac lex ipsa; et si verba legis in se certa declareret tantum, promulgatione non eget et valet retrosum; si legem coarctet vel extendat aut dubiam explicet, non retrotrahitur et promulgari debet.

§ 3. Data autem per modum sententiae iudicialis aut rescripti in re peculiari, vim legis non habet et ligat tantum personas atque afficit res pro quibus data est.

*Canon 18*

Leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam; quae si dubia et obscura manserit, ad locos parallelos, si qui sint, ad legis finem ac circumstantias et ad mentem legislatoris est recurrendum.

*Canon 19*

Leges quae poenam statuunt, aut liberum iurium exercitium coarctant, aut exceptionem a lege continent, strictae subsunt interpretationi.

*Canon 20*

Si certa de re desit expressum legis sive universalis sive particularis praescriptum, causa, nisi sit penalnis, dirimenda est secundum consuetudinem canonice inductam; quae si deficiat, norma causae applicanda sumatur attentis legibus latis in similibus; generalibus iuris canonici principiis cum aequitate servatis; iurisprudentia ecclesiastica, praesertim stylo et praxi Curiae Romanae; communi constantique doctorum sententia.

*Canon 21*

Leges latae ad praecavendum periculum generale urgent, etiamsi in casu peculiari periculum non adsit.

*Canon 22*

Lex posterior a competenti auctoritate lata, obrogat priori, si id expresse edicat, aut si sit illi directe contraria, aut totam de integro ordinet legis prioris materiam; sed (firmo praescripto can. 6, n. 1), lex universalis minime derogat locorum iuri particulari nec personarum specialibus statutis, nisi aliud in ipsa expresse caveatur.

*Canon 23*

In dubio revocatio legis praeesistentis non praesumitur, sed leges posteriores ad priores trahendae sunt et his, quantum fieri possit, conciliandae.

TITULUS II  
DE CONSUETUDINE

*Canon 25*

In Ecclesia ea tantum consuetudo a communitate christiana introducta vim legis habet, quae a legislatore approbata fuerit, ad normam canonum qui sequuntur.

*Canon 26*

§ 1. Nulla consuetudo vim legis obtinere potest quae sit iuri divino sive naturali sive positivo contraria.

§ 2. Nec vim legis obtinere potest consuetudo contra aut praeter ius canonicum, nisi quae sit rationabilis; consuetudo autem quae in iure expresse reprobatur, non est rationabilis.

*Canon 27*

Nulla consuetudo vim legis obtinet, nisi quae cum animo iuris inducendi a communitate legis saltem recipienda capace servata fuerit.

*Canon 28*

Nisi a competenti legislatore, consensu saltem tacite manifestato, specialiter fuerit probata, consuetudo vigenti iuri canonico contraria aut quae est praeter legem canonicam, vim legis obtinet tantum, si legitime per annos viginti continuos et completos servata fuerit; contra legem vero cano-

nicam quae clausulam contineat futuras consuetudines prohibentem, sola praevalere potest consuetudo centenaria aut immemorabilis.

*Canon 39*

Consuetudo est optima legum interpres.

*Canon 30*

Firmo proposito can. 5, consuetudo, sive contra sive praeter legem, per contrariam consuetudinem aut legem revocatur; sed, nisi expressam de iis mentionem faciat, lex non revocat consuetudines centenarias aut im-memorabiles, nec lex universalis consuetudines particulares.

## DE TEMPORIS SUPPUTATIONE

*Canon 1*

Nisi aliud expresse in iure caveatur, tempus supputetur ad normam canonum qui sequuntur.

*Canon 2*

§ 1. Tempus continuum intelligitur quod nullam patitur interruptio-nem; secus intermissum.

§ 2. Tempus utile intelligitur quod ita ius suum exercenti aut perse-quenti competit ut ignorantia aut agere non valenti non currat.

*Canon 3*

§ 1. In iure, dies intelligitur spatium constans 24 horis continuo sup-putandis, et incipit a media nocte, nisi aliud expresse caveatur; hebdoma-da spatium 7 dierum; mensis spatium 30, annus spatium 365 dierum, nisi mensis et annus dicantur sumendi prout sunt in calendario.

§ 2. Prout sunt in calendario semper sumendi sunt mensis et annus, si tempus est continuum.

*Canon 4*

§ 1. Dies a quo non computatur in termino, nisi huius initium coinci-dat cum initio diei aut aliud expresse in iure caveatur.

§ 2. Nisi contrarium statuatur, dies ad quem computatur in termino, qui, si terminus constet uno vel plurimis mensibus aut annis, una vel pluribus hebdomadibus, finitur expleto ultimo die eiusdem numeri aut, si mensis die eiusdem numeri careat, expleto ultimo die mensis.

#### TITULUS IV DE RESCRIPTIS

##### *Canon 1 (novus)*

Rescriptum est actus auctoritatis exexecutivae competentis ad petitio-  
nem alicuius ad normam iuris editus, respiciens sive quae fieri debet provi-  
sio administrativa, sive quae conferri potest gratiae.

(Textus provisorie admissus).

##### *Canon 2 (CIC 36)*

§ 1. Rescriptum a quacumque auctoritate, intra fines suaे competen-  
tiae agente, impetrari libere potest ab omnibus qui expresse non prohi-  
bentur.

(§ 2. Rescriptum omne genus a competenti auctoritate concessae  
etiam censura irretitis validum est, salvo praescripto can. ... etc.).

N.B.: Haec altera paragraphus utrum servanda sit necne, definitur  
attentis praescriptis iuris poenalis recogniti, in specie cann. 2265 § 2,  
2275, n. 3, 2283).

##### *Canon 3 (CIC 37)*

Rescriptum gratiae impetrari potest pro alio etiam praeter eius assen-  
sum, et valet ante eiusdem acceptationem, nisi aliud ex appositis clausulis  
appareat.

##### *Canon 4 (CIC 38)*

Rescriptum quo provisionis gratiaeve concessio fit sine intericto exse-  
cutor, effectum habet a momento quo datae sunt litterae; cetera a tempo-  
re exsecutionis.

##### *Canon 5 (CIC 39)*

Conditiones in rescriptis tunc tantum ad validitatem concessionis cen-  
sentur adiectae, cum per particulas *si, dummodo*, vel aliam eiusdem signifi-  
cationis exprimuntur.

*Canon 6 (CIC 40-42)*

§ 1. Validitati rescripti obstat subreptio seu reticentia veri, si in precibus expressa non fuerint quae secundum iurisprudentiam canonicam ad validitatem sunt exprimenda, nisi tamen agatur de rescripto gratiae quod «motu proprio» datum sit.

§ 2. Item validitati rescripti obstat obreptio seu expositio falsi, si ne una quidem causa motiva proposita sit vera.

§ 3. Quae causa motiva, in rescriptis quorum nullus est executorialis, vera sit oportet tempore quo rescriptum datum est; in ceteris tempore executionis.

*Canon 7 (CIC 43)*

Gratia a quovis Dicasterio Romanae Curiae denegata, invalide ab alio eiusdem Curiae aliave competenti auctoritate, infra Summum Pontificem, conceditur, sine assensu Dicasterii quocum agi coeptum fuit.

*Canon 8 (CIC 44)*

§ 1. Salvis praescriptis §§ 2 et 3, nemo gratiam a proprio Ordinario denegatam ab alio Ordinario petat, nisi facta denegationis mentione; facta autem mentione, Ordinarius gratiam ne concedat, nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus.

§ 2. Gratia a Vicario Generali vel a Vicario Episcopali denegata, ab alio Vicario eiusdem Episcopi, etiam habitis a Vicario abnegante denegationis rationibus, valide concedi nequit.

§ 3. Gratia a Vicario Generali vel a Vicario Episcopali denegata et postea, nulla facta huius denegationis mentione, ab Episcopo dioecesano impetrata, invalida est; gratia autem ab Episcopo dioecesano denegata nequit valide, etiam facta denegationis mentione, ab eius Vicario Generali vel Vicario Episcopali, non consentiente Episcopo, impetrari. (cfr. Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 14 § 4).

*Canon 9 (CIC 46)*

Rescripta, etiam *Motu proprio* concessa, personae de iure communi inhabili ad consequendam provisionem gratiamve de qua agitur, itemque edita contra alicuius loci legitimam consuetudinem vel statutum peculiare, vel contra ius alteri quaesitum, non sustinentur, nisi expressa derogatoria clausula rescripto apponatur.

*Canon 10 (CIC 47)*

Rescripta non fiunt irrita ob errorem in nomine personae cui vel a qua conceduntur, aut loci in quo ipsa moratur, aut rei de qua agitur, dummodo, iudicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio.

*Canon 11 (CIC 48)*

§ 1. Si contingat ut de una eademque re duo rescripta inter se contraria impetrantur, peculiare, in iis quae peculiariter exprimuntur, praevalet generali.

§ 2. Si sint aequae peculiaria aut generalia, prius tempore praevalet posteriori, nisi in altero fiat expressa mentio de priore, aut nisi prior imperator dolo vel notabili negligentia suo rescripto usus non fuerit.

§ 3. In dubio utrum rescriptum irritum sit necne recurratur ad rescriptentes.

*Canon 12 (CIC 49)*

Rescripta intelligenda sunt secundum propriam verborum significacionem et communem loquendi usum, nec debent ad casus alias praeter expressos extendi.

*Canon 13 (CIC 50)*

In dubio, rescripta quae ad lites referuntur, vel iura aliis quae sit laudent, vel adversantur legi, in commodum privatorum, strictam interpretationem recipiunt; cetera omnia latam.

*Canon 14 (CIC 51)*

Rescriptum in quo nullus datur exsecutor, tunc tantum debet Ordinario impetrantis praesentari, cum id in eisdem litteris praecipiatur, aut de rebus agatur publicis, aut comprobare conditiones quasdam oporteat.

*Canon 15 (CIC 52)*

Rescripta, quorum praesentationi nullum est definitum tempus, possunt exsecutori exhiberi quovis tempore, modo absit fraus et dolus.

*Canon 16 (CIC 53)*

Rescripti exsecutor invalide munere suo fungitur, antequam litteras receperit earumque authenticitatem et integritatem recognoverit, nisi

prævia earundem notitia ad eum fuerit auctoritate rescriptentis transmissa.

*Canon 17 (CIC 54)*

§ 1. Si in rescripto committatur merum exsecutionis ministerium, exsecutio rescripti denegari non potest, nisi aut manifesto appareat rescriptum esse nullum vel sustineri non posse, aut in rescripto apponantur conditiones quas exsecutori constet non esse impletas; si tamen is in cuius favorem rescriptum est concessum adeo, iudicio exsecutoris, videatur indignus ut aliorum offensioni futura sit provisionis gratiae concessio, exsecutor exsecutionem intermittat atque de re statim certiore faciat rescriptentem.

§ 2. Quod si in rescripto ipsa concessio exsecutori committatur, ipius est pro suo prudenti arbitrio et conscientia gratiam concedere aut denegare.

*Canon 18 (CIC 55)*

Exsecutor procedere debet ad mandati normam, et nisi conditiones essentiales in litteris appositas impleverit ac substantialem procedendi formam servaverit, irrita est exsecutio.

*Canon 19 (CIC 56)*

Exsecutio rescriptorum quae forum externum respiciunt, scripto facienda est.

*Canon 20 (CIC 57)*

Rescriptum exsecutor potest alium pro suo prudenti arbitrio sibi substituere, nisi substitutio prohibita fuerit, aut electa industria personae, aut substituti persona praefinita; quibus tamen in casibus exsecutori licet alteri committere actus praeparatorios.

*Canon 21 (CIC 58)*

Rescripta quaelibet exsecutioni mandari possunt, etiam ab exsecutoris successore in officio vel dignitate, nisi fuerit electa industria personae.

*Canon 22 (CIC 59)*

Exsecutori fas est, si quoquo modo in rescriptorum exsecutione erraverit, iterum eadem exsecutioni mandare.

*Canon 23 (novus)*

Nemo uti tenetur rescripto in sui dumtaxat favorem concesso, nisi aliunde obligatione canonica ad hoc teneatur.

*Canon 24 (CIC 79)*

Quamvis gratia oretenus sibi concessa quis in foro interno uti possit, tenetur illam in foro externo probare, quoties id legitime ab eo petatur.

*Canon 25 (CIC 60)*

§ 1. Revocatio rescripti per actum peculiarem auctoritatis competenti effectum tantummodo obtinet a momento quo significetur ei qui rescriptum obtinuit.

§ 2. Per legem contrariam nulla rescripta revocantur, nisi aliud in ipsa lege caveatur, aut lex lata sit ab auctoritate ipsi rescribenti superiore.

*Canon 26 (CIC 61)*

Per cessationem rescribentis ab officio, rescriptum ab eodem consum non perimitur, nisi aliud ex appositis clausulis appareat, aut rescriptum contineat potestatem alicui factam concedendi gratiam peculiaribus personis in eodem expressis, et res adhuc integra sit.

*Canon 27 (CIC 62)*

Si rescriptum contineat privilegium vel dispensationem, serventur insuper praescripta canonum qui sequuntur.

TITULUS V  
DE PRIVILEGIIS

*Canon 1 (CIC 63)*

§ 1. Privilegia, seu gratiae contra aut praeter ius in favorem certarum personarum, sive physicarum sive moralium, per peculiarem actum factae, a sola auctoritate competenti concedi valent.

§ 2. Possessio centenaria vel immemorabilis praesumptionem inducit concessi privilegii.

*Canon 2 (CIC 66)*

§ 1. Facultates habituales quae conceduntur aut in perpetuum aut ad praefinitum tempus aut ad certum numerum casum, accensentur privilegiis praeter ius.

§ 2. Nisi in earum concessione aliud expresse cautum sit aut electa industria personae, facultates habituales Episcopo aliisve Ordinariis concessae, non perimuntur resoluto iure Ordinarii cui concessa sunt, etiamsi ipse eas exequi cooperit, sed transeunt ad quemvis Ordinarium qui ipsi in regimine succedit.

§ 3. Item, nisi aliud expresse cautum sit aut electa industria personae, facultates habituales Episcopo concessae competit quoque Vicario Generali atque, intra fines suee competentiae, Vicario episcopali.

§ 4. Concessa facultas alias quoque potestates secumfert quae ad illius usum sunt necessariae; quare concessa facultas habitualis potestatem etiam includit removendi obstacula, si quae sint, gratia executionem impeditia, ad effectum dumtaxat gratiae consequendae.

*Canon 3 (CIC 67-68)*

Privilegia interpretanda sunt ad normam canonum 49 et 50; sed ea semper adhibenda est interpretatio, ut privilegio aucti aliquam revera gratiam consequantur.

*Canon 4 (CIC 79)*

Quamvis privilegio oretenus sibi concesso quis in foro interno uti possit, tenetur illud in foro externo probare, quoties id legitime ab eo petatur. (Hic canon estne transferendus sub titulo De rescriptis post can. 23)

*Canon 5 (CIC 70, 74, 75)*

§ 1. Privilegium praesumitur perpetuum, nisi contrarium probetur.

§ 2. Privilegium personale, quod quidem personam sequitur, cum ipsa extinguitur.

§ 3. Privilegium reale cessat per absolutum rei vel loci interitum; privilegium vero locale, si locus intra quinquaginta annos restituatur, reviviscit.

*Canon 6 (CIC 71)*

Privilegium cessat per revocationem competentis Superioris ad normam can. 60.

*Canon 7 (CIC 72)*

§ 1. Privilegium cessat per renuntiationem a competente Superiore acceptatam.

§ 2. Privilegio in sui dumtaxat favorem concessu quaevis persona privata renuntiare potest.

§ 3. Concesso autem alicui personae morali, aut ratione dignitatis loci vel rei, renuntiare privatis personis non licet.

§ 4. Nec ipsi personae morali integrum est privilegio sibi concesso renuntiare, si renuntiatio cedat in Ecclesiae aliorumve praeiudicium.

*Canon 8 (CIC 73)*

Resoluto iure concedentis, privilegium non exstinguitur, nisi datum fuerit cum clausula: *ad beneplacitum nostrum*, vel alia aequipollenti.

*Canon 9 (CIC 76)*

Per non usum vel per usum contrarium privilegium aliis haud onerosum non cessat; quod vero in aliorum gravamen cedit, amittitur, si accedat legitima praescriptio vel tacita renuntiatio.

*Canon 10 (CIC 77)*

§ 1. Cessat privilegium elapso tempore vel expleto numero casuum pro quibus fuit concessum, firmo praescripto can. 207 § 2.

§ 2. Cessat quoque, si temporis progressu rerum adiuncta ita, iudicio auctoritatis competentis, immutentur ut noxiū evaserit aut eius usus illicitus fiat.

*Canon 11 (CIC 78)*

Qui abutitur potestate sibi ex privilegio permissa privilegio ipso privati meretur; quare Ordinarius, frustra monito privilegiario, graviter abutentem privet privilegio quod ipse concessit; quod si privilegium concessum fuerit ab Apostolica Sede, eamdem Ordinarius certiorem facere tenetur.

TEXTUS CANONUM  
«DE DISPENSATIONIBUS» IAM PROBATUS

*Canon 1 (CIC 80)*

Dispensatio seu legis ecclesiasticae in casu speciali relaxatio, concedi potest ab iis qui potestate gaudent executiva, intra limites suae competentiae, necnon ab illis quibus potestas dispensandi explicite vel implicite competit sive ipso iure sive vi legitimae delegationis.

*Canon 2 (novus)*

Dispensationi obnoxiae non sunt leges quatenus definiunt ea quae institutorum aut actuum iuridicorum essentialiter sunt constitutiva.

*Canon 3 (CIC 81)*

§ 1. Episcopi dioecesani ab universalibus Ecclesiae legibus aliisque a supra Ecclesiae auctoritate pro eorum territorio latis dispensare valent ad normam can. 19 (De Episcopis dioecesanis)<sup>1</sup>.

§ 2. Si difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni, omnes Ordinarii in casu particulari dispensare valent in legibus Ecclesiae universalibus et in particularibus a supra auctoritate pro eorum territorio latis, de quibus in can. 19 (de Episcopis dioecesanis), etiam si dispensatio reservetur Sanctae Sedi, dummodo tamen agatur de dispensatione quam ipsa in iisdem adjunctis concedit.

*Canon 4 (CIC 82)*

A legibus dioecesanis atque, in casu tantum particulari a legibus latis a Concilio regionali vel provinciali aut ab Episcoporum Conferentia, dispensare valent Episcopi dioecesani atque Vicarii generales et, intra fines suae competentiae, Vicarii episcopales, ad normam can. 5 (de Vicariis generalibus et episcopalibus).

*Canon 5 (CIC 83)*

Parochi aliquique presbyteri aut diaconi a lege universali et particulari dispensare tantummodo valent, si haec potestas expresse ipsis concessa sit.

*Canon 6 (CIC 84)*

§ 1. A lege ecclesiastica ne dispensemur sine iusta et rationabili causa, habita ratione adjunctorum casus et gravitatis legis a qua dispensatur; alias

<sup>1</sup> Coetui « de Sacra Hierarchia » canon 19 de Episcopis dioecesanis sequenti modo proponitur complendus et emendandus:

*Canon 19. § 1. Episcopus dioecesanus in disciplinaribus legibus tam universalibus quam particularibus a supra Ecclesiae auctoritate pro suo territorio latis, quae ad bonum spirituale fidelium directe ordinantur, tum praeceptivis et prohibitivis, tum irritantibus et inhabilitantibus, dispensare valet, in casibus particularibus, fideles in quos ad normam can. ... auctoritatem exercet, quoties id ad corundem bonum spirituale conferre iudicet, firmo praescripto can. 81, § 2, et salvo praescripto § 2.*

*§ 2. Dispensare nequit in hisce legibus in quibus iuris praescripto vel decreto particulari dispensatio Apostolicae Sedi aliive auctoritati specialiter reservatur.*

dispensatio illicita et, nisi ab ipso legislatore eiusve Superiore data sit, etiam invalida est.

§ 2. Dispensatio in dubio de sufficientia causae licite et valide conceditur.

*Canon 7 (novus)*

Qui gaudet potestate dispensandi eam exercere valet etiam extra territorium existens, in subditos, licet e territorio absentes atque, nisi contrarium expresse statuatur, in peregrinos quoque in territorio actu degentes.

*Canon 8 (CIC 85)*

Strictae subest interpretationi non solum dispensatio ad normam can. 50, sed ipsamet facultas dispensandi ad certum casum concessa.

*Canon 9 (CIC 86)*

Dispensatio quae tractum habet successivum, cessat iisdem modis quibus privilegium, nec non certa ac totali cessatione causae motivae.

*NOTA:* Ad can. 2 (81), § 2. - In votis est coetus « de normis generalibus », ut deinceps in iure nomine Ordinarii veniant etiam Superiores maiores in religionibus clericalibus non exemptis, quippe qui in iure condendo potestate exexecutiva, scilicet ad actus administrativos ponendos, instrui possunt relate ad suos subditos. Quod si huic voto non obsecundetur, § 2 complendus est verbis: « ... omnes Ordinarii infra Romanum Pontificem *nec non Superiores maiores in Institutis religiosis clericalibus alisque eiusdem aequiparatis...* ».

## DE PRAECEPTIS

*Canon 1*

Praecepta, quibus applicationi normarum iuris prospicitur, dari possunt, infra fines suaे competentiae, ab iis qui potestate gaudent exexecutiva.

*Canon 2*

§ 1. Praecepta, vi potestatis regiminis singulis data, eos quibus dantur ubique ligant, nisi aliud constet; cessant resoluto iure praecipientis, nisi aliud expresse caveatur.

§ 2. Praecepta de quibus in § 1, quibus personae obligatio imponitur aut eius ius coarctatur, urgeri tantum valent, si legitimo documento nec non ad normam iuris intimata fuerint.

*Canon 3*

§ 1. Praecepta communia, vi potestatis regiminis data, nisi expresse statuantur personalia, subditos ligant in territorio versantes tantum; peregrinos ea tenent tantum, quae se referunt ad leges quibus iidem tenentur ad normam can. 14 § 2, 2°.

§ 2. Praecepta communia non cessant resoluto iure praecipientis, nisi contrarium expresse caveatur.

§ 3. Ad praceptorum communium promulgationem et vacationem quod attinet, serventur praescripta can. 9 (de legibus).

*Canon 4*

§ 1. Praecepta quae alia potestate quam regiminis data sunt eos quibus imponuntur ubique ligant, et cessant resoluto iure praecipientis, nisi aliud constet.

§ 2. Quae praecepta, si iura personarum affiant, ad normam iuris imponi debent.

SCHEMA CANONUM QUI IAM PROBATI SUNT  
« DE INSTRUCTIONIBUS ET DE DECRETIS »

*Canon 1*

§ 1. Instructiones, quae nempe legum praescripta declarant atque rationes in iisdem exsequendis servandas evolvunt et determinant, ad usum eorum dantur quorum est curare ut leges executioni mandentur eosque in legum executione obligant; eas legitime edunt, intra fines suae competentiae, qui potestate executiva gaudent.

§ 2. Instructionum ordinationes legibus non derogant, et si quae earum cum legum praescriptis componi nequeant, omni vi carent.

§ 3. Vim habere desinunt instructiones non tantum revocatione explicita aut implicita ab auctoritate competenti, quae eas edidit eiusve Superiori, sed etiam cessante lege ad quam declarandam executione mandandam datae sunt.

*Canon 2*

Decreta generalia, quibus a legislatore competenti, pro communitate legis recipienda capace, feruntur praescripta communia, proprie sunt leges et reguntur praescriptis canonum de legibus.

*Canon 3*

Decreta generalia, quibus praescripta statuuntur communia praeter aut contra leges vigentes consuetudinesve probatas ferre non valent ii qui potestate exsecutiva tantum gaudent, nisi in casibus particularibus talis potestas ad normam iuris ipsis a legislatore competenti expresse fuerit concessa; quae vi talis concessae potestatis servatisque conditionibus in actu concessionis statutis eduntur decreta generalia, vim legis habent et reguntur praescriptis canonum de legibus.

*Canon 4*

§ 1. Decreta generalia exsecutoria, quibus nempe pressius determinantur modi in lege applicanda servandi, ferre valent, intra fines suae competentiae, qui potestate gaudent exsecutiva.

§ 2. Decreta generalia exsecutoria eos omnes obligant qui tenentur legibus quarum modos applicationis definiunt.

§ 3. Decreta generalia exsecutoria non derogant legibus praescriptis, et quae eorum praescripta legibus sint contraria omni vi carent; vim habere desinunt revocatione explicita aut implicita ab auctoritate competenti necnon cessante lege ad cuius exsecutionem data sunt.

*Canon 5*

§ 1. Decreta particularia, quibus quoad casum particularem legis declaratio datur eiusve exsecutio urgetur, dare possunt, intra ambitum suae competentiae, qui potestate exsecutiva gaudent, atque, ad normam iuris de processibus, qui potestate gaudent iudicali.

§ 2. Decreta particularia obligant tantummodo personas pro quibus data sunt; expirante revocatione ab auctoritate competenti necnon cessante lege cuius exsecutionem urgent.

SCHEMA CANONUM QUI IAM PROBATI SUNT  
«DE STATUTIS ET ORDINIBUS»

*Canones 6 e 7*

§ 1. Statuta, licet hoc nomine vocentur etiam leges a legislatore competenti in Ecclesia non supremo editae sensu proprio sunt quae in christifidelium consociationibus, sive publicis sive privatis, aut in rerum universitatibus ad normam iuris conduntur ordinationes, quibus definiuntur consociationis universitatisve finis, constitutio et regimen, atque actionis rationes.

§ 2. Statuta consociationis obligant solas personas quae legitime eiusdem sunt membra, et quidem ex ipsa conventione inita, nisi quaedam consociatio ex concessione legislatoris aut consuetudine probata legifera potestate instructa sit; statuta rerum universitatis obligant eos qui eiusdem moderamen curant aut cum eadem negotia pertractant.

§ 3. Quae in statutis, seu constitutionibus, habentur praescripta a Moderatoribus potestate legifera legitime instructis condita et promulgata, sunt leges et reguntur praescriptis canonum de legibus.

*Canon 8*

§ 1. Ordines sunt regulae seu normae servandae in personarum conventibus, sive conventus ab auctoritate ecclesiastica edicti sive a christifidelibus libere advocati sint, necnon in aliis celebrationibus, et quibus definiuntur quae ad constitutionem, moderamen et rerum agendarum rationes pertinent.

§ 2. In conventibus celebrationibusve ab auctoritate ecclesiastica edictis, regulis Ordinis, vi decreti ab auctoritate competenti dati, tenentur qui ad conventus celebrationesve legitime convocati in eisdem partem habent; in conventibus libere a christifidelibus advocatis, regulis Ordinis tenentur qui eosdem participant.

